

## NUMMVS IRENICVS

GREGORII XIII. PONTIFICIS: Ci-  
vili bello Genuensium per Cardinalem Moronum com-  
posito, & Veterum ac Novorum seditiosis no-  
minibus extinctis: cufus Anno  
Christi 1575,



T nimia alimentorum copia, morborum in corpo-  
re humano esse causa consuevit : sic in Rep. turba-  
rum atque seditionum omnibus numeris adimple-  
ta felicitas. Experta id est Genua, non ultima inter  
nobilissimas Italiae civitates: quæ, cum felix beataq;  
manere potuisset, fortunæ suæ quasi pertasa, circa  
Annum Christi 1573. & insequentes aliquot in fa-  
ctiones perniciosissimas exarsit : idq; partim stimu-  
lante ambitione, dum de antiquitate familiarium

inter se cives contenderent: partim invidiâ impellente, dum hic illius res  
magis prosperas atque felices rectis intueri oculis non posset. Quin ad ar-  
ma res tandem pervenit. Veteres namque belli civilis initium fecerunt,  
&, Andreâ Auriâ Duce, portum Veneris ceperunt, duas verò triremes No-  
vorum hostiliter sunt insecuti, quæ per validos remiges evaserunt. Sistrum  
insuper deditione captum, cum multis navigijs rebus variis onustis: certa-  
tum frequentibus præliis inter Gavi & Novij præsidia: ager direptionibus  
utrinque vexatus. Tandem Joannes Moronus Cardinalis à Pontifice mis-  
sus, operâ cæterorum legatorum, quo Italiae quieti consulere, Genuen-  
sium dissidia composuit: fanciendo comprimis, ut odiosa seditionis nomi-  
na sempiternâ oblivione involverentur: neque ullicives Novi aut Vete-  
res dicerentur, sed omnes unius essent ordinis, & haberentur. *Ad nummi ex-*  
*plicationem pertinere illud Silij Italici existimo:*

— Pax optima rerum,  
*Quas homini novisse datum est, pax una triumphis*  
*Innumeris potior, pax custodire salutem,*  
*Et cives æquare potens.*

*Comes Natalis. Author.*